



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 12. Virtutes Theologiæ. Fig. Symb. Abraham, Isaac, Jacob. Aliæ Fig. & Symb.. Ex Vet. &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

faciem abyssi. S. Anastas. Sinaita l. 1. Anagog. contemplat. Scriptura tenebras ponit ante lucem. Quod præsignificaverunt illæ etiam duæ volucres, quæ emissæ sunt ex Arca Noë. Gen. 8. 7. 8. Unde licet videre; ibi quoque priores esse tenebras: prior enim corvus evolavit super aquas. Cum blanda voluptas homini res terrenas proponit, quæ meræ tenebræ sunt; & ratio cœlestia dicitur, quæ lux sunt; prius in illas abripimur, quàm in hæc feramur: non secus ac ante columbam corvus evolavit. Did. Niss. D. 3. Pasch. §. 3.

Dedit viro suo. Gen. 3. 6. Ut mulier alligeret virum ad peccatum; absque ullius mandato, ipsa, ut comedit, dedit viro suo: nam ad malum nos prout sponte nostrâ; ad salutem mandatò impelli opus habemus. Sylveira in Joan. 4.

Abijcite deos alienos; surgite &c. Gen. 35. 2. 3. Surgere jubet: quia somnolenti sumus ad ea, quæ animæ, & Dei, sunt: ut necesse sit, crebris vocibus nos excitare. Et ascendere jubemur: quia omnis pro Deo, & anima, susceptus labor videtur mons præcellus: aliter est in voluptatibus. Did. Niss. Pol. Cœl. p. 2. l. 9. c. 4.

Tollite in aures aureas, de uxorum, filiorumq; & filiarum vestrarum, aures; & afferte ad me. Ex. 32. 2. Si ab uxore, aut filia, monile auferas ad bonum aliquod; vix totâ die fletum, & turbationem domus, compescere poteris: nunc verò tam facile pretiosis spoliari permittunt ad idola. Oleaster. Imperat virtus; & dormimus: annuit vitium; & jam currimus. Utinam se sic sineret homo à vitijs rogari, quemadmodum ad opera virtutum. Seneca l. 3. nat. quæst. c. 27. nihil difficile est naturæ, ubi in finem sui properat. Ad originem rerum parçè utitur viribus; dispensatque se incrementis fallentibus; subito ad ruinam totò impetu venit. Did. Niss. Polit. Cœl. p. 2. l. 2. c. 6.

Repentè ventus irruit à regione deserti. Job. 1. 19. at Ezech. 37. 9. à quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reviviscant. Ad evertendam domum, ad inferendam necem, irruit ventus unus: ad conferendam verò vitam à quatuor ventis totidem fœderati venire debere. Idem f. 4. D. 5. Quadr. §. 4.

Cum sancto, sanctus ejus, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris; & cum perverso perverteris. Pl. 17. 26. Sanitum ter nominat, sanctus, innocens, electus; & perversum semel tantum. Cur mali, & perversi, non ter, æquè ac sancti, meminit? Quia, ut quis evadat Sanctus, tribus, & pluribus, indiget Sanctis, qui illum ad probitatem pertrahant: ut verò quis malus evadat, unus, qui pervertat, plus satis est. Idem ibidem.

Ambulavimus vias difficiles. Sap. 5. 7. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Pl. 13. 3. Sed, ut ad cœlum tendant, quid requiritur? Appropinquavit regnum cœlorum &c. Matth. 3. 2. Novus di-

cendi modus! homo debet quærere, & sese appropinquare ad regnum cœlorum; at è contra Joannes ait. Nisi cœlum se inclinet, & ad nos veniat; nunquam homo se movebit, ut illud conscendat. Sylveira in Joan. 4.

Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus. Ol. 2. 14. alij legunt, *seducam* eam in solitudinem. Expende verbum *seduco*, & considera; quod etiam ad ea, quæ nobis maximè utilia sunt, oportet Deum nos seducere. Oleaster in Gen. 12.

Abcondi talentum tuum in terra. Matth. 25. 25. Compone hunc servum iniquum cum illo Luc. 16. 3. qui ait: *fodere non valeo*, hoc est, laborare. At iste, qui unum talentum acceperat, *abiens fodit in terram*. Hic ad malum strenuus, & impiger; alter ad bonum, & satisfaciendum Domino, piger. Sylveira hic in addit.

§. XI.

Varia de Virtute in genere.

Vinum tuum missum est aqua. Is. 1. 22. id est, justitia tua missa est cum avaritia, & injustitia. Religiosus miscet vinum cum aqua, quando cum obedientia miscet propriam voluntatem, & judicium cum oratione curiosa; & secularia colloquia, cum cœlestibus cogitationibus consolationes viles. Cornelius hic.

Virtus spontanea quædam res est, & nullius subjecta dominio: quod autem quædam necessitate coactum est, virtus jam non esse potest. S. Gregor. Nyss.

Multò magis regnans virtus mavult adolescentiam, quàm senectutem; & tanquam intactam Virginem, & nihil probri passam adolescentiam, secum jungit necessitudine, ut cujus vitæ primitiis ambiat. S. Chrysost. in Pl. 14.

§. XII.

Virtutes Theologicæ.

Figure, Symbola.

Abraham, Isaac, Jacob.

DEus est *Deus Abraham*, conferendo Fidem: *Deus Isaac*, conferendo spem: *Deus Jacob* conferendo Charitatem. S. Bonaventura hic.

Per Abraham Fides, per Isaac spes, per Jacob Charitas, intelligitur. Hugo Card. in Matth. 1.

Recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob. Matth. 8. 11. In Abraham Fides, in Isaac Spes, in Jacob Charitas designatur. Sim. Cass. l. 5. c. 12. Hi tres Patres in medium adducuntur: nam in Abraham Fides, quæ placuit Deus; & reputatum est ei ad justitiam: in Isaac verò spes, quasi Sacramentum fidei; & gratiæ, generatur. Porro per Jacob Charitas designatur: quæ per varia certamina, donec Israel possit Deum deorum in Sion videre,

dere, laboriosè transeat. S. Paschasius l. 5. in Matth.

Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Jacob. Luc. 20. 37. Quare potius istos, quàm alios nominavit; cum sit Deus omnium? Quia in his tribus commendantur, & significantur, tres virtutes Theologicae, id est, Fides, Spes, Charitas; per quas venit ad Resurrectionem. Per Abraham Fides, per Isaac Spes, per Jacob Charitas. Hugo Card. hic.

Alia figura, & Symbola.

Ex Veteri.

Creavit Deus cælum &c. Gen. 1. 1. Christianus est cælum; in quo Luna est Fides, Hesperus Spes, Sol Charitas; alia reliqua cœteræ virtutes. Cornelius hic.

Ibimus viam trium dierum. Ex. 3. 18. Via trium dierum, est via Fidei, Spei, & Charitatis. Cornelius hic. Fides demonstrat iter ad terram promissionis, uti columna nubis, & ignis: Spes autem manna suavitatis nos sustentat: ac verò Charitas in eam nos introducit, ut arca fœderis. S. Franc. Salef. de div. am. l. 1. c. 6.

Est nostrum pro peccato sacrificium fides. Levit. 3. 1. &c. *hostia pacificorum* spes: *holocaustum* verò Charitas. S. Rupertus hic l. 1. c. 27.

Tres civitates. Deut. 19. 2. Glossa hic dicit Fidem, Spem, & Charitatem: ad quas omnes poenitentes debent confugere.

Surge per Fidem; prospera per Spem; veni per Charitatem. Cant. 2. 10. Idem S. Rupertus hic.

Sancta Ecclesia, id est, spirituale ædificium; ut ad secreta gaudia pertingat; tres solummodo portas Ezech. 40. 6. &c. habet; videlicet Fidem, Spem, atque Charitatem. Unam ad orientem, aliam ad aquilonem, tertiam ad meridiem. Porta quippe in oriente est Fides: quia per ipsam lux vera nascitur in mente. Porta ad aquilonem Spes: quia unusquisque in peccatis positus, si de venia desperaverit, funditus perit. Unde necesse est, ut, qui per suam iniquitatem extinctus est, per spem misericordiae reviviscat. Porta ad meridiem Charitas: quia igne amoris ardet. S. Gregorius hic. hom. 19. post medium.

Ex Novo.

Faciamus hic tria tabernacula. Matth. 17. 4. Fidei unum, Spei unum, Amori unum. S. Bernardus l. de amore Dei c. 2.

Non permittit secum intrare quemquam, nisi Petrum, & Jacobum, & Joannem. Luc. 8. 51. Petrus, qui interpretatur *agnoscens*, designat fidem: Jacobus qui *luctator* interpretatur, Spem: Joannes Charitatem. Et hæ tres virtutes sunt Domino familiarissimæ; & concurrent ad suscitationem peccatoris à morte; quæ designatur in suscitatione puellæ. S. Bonaventura hic. Virtutes vivificæ, animam mortuum reviviscere faciunt. Polyanth. Sacra Tom. II.

cientes, tres solummodò sunt; quas Theologicas appellamus. Sim. Cass. l. 6. c. 1.

Commoda mihi tres panes. Luc. 11. 5. Isti tres panes intelligi possunt actus Fidei, Spei, & Charitatis; quibus Deus præcipuè colitur. Dion. Carthus. hic. Hoc est, infunde cordibus nostris Fidem, Spem, & Charitatem. S. Eligius hom. 14.

Petite, & dabitur vobis: querite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis. Luc. 11. 9. Petimus Fide, per eam ad Christum euntes: quærimus spe; quâ attingimus usque ad interiora: pulsamus Charitate; dum laboribus desudamus: ut, quod petimus, & quærimus, consequamur. S. Bonaventura hic.

Quis ex vobis &c. Luc. 11. 11. Panis intelligitur Charitas, sine quâ cœtera nihil sunt; sicut sine pane mensa inops videtur: cui contraria est cordis duricia, quam lapidi comparavit. *Pisces* sunt Fides invisibilium: cui contrarium posuit serpentem, propter venena fallaciæ. In ovo indicatur spes: huic contrarium, posuit scorpionem; cujus aculeus venenatus retro timendus est: quia mortifera desperatio in fine est formidanda. Ven. Beda l. 1. in Matth. 7.

Ex Patribus, & alijs.

Prima salutis initia, & ipsa fundamenta, Fides est: profectus verò, & augmenta ædificij, Spes est: perfectio autem, & culmen, totius operis, Charitas. Origenes l. 2. in Rom. 2.

In illa crucis parte, quæ terræ desigitur, Fides, quæ religionis fundamentum est, figuratur: huic scilicet fundamento tora fabrica bonæ operationis innititur. Per supremum verò eorum, quod cœteris eminet, Spes intelligitur: quâ noster animus ad capeßenda cœlestia provocatur. Illò verò ligno, quod in medio positum binis utrinque porrigitur brachijs, latitudo designatur geminæ Charitatis. B. Petrus Dam. l. 6. ep. 22.

Quare in Missa ponuntur panis, vinum, & aqua? quia in his res ipsa, & virtus, Sacramenti intelligitur. In aqua intelligitur Fides, quæ lætetur, & nutritur in aquis. In vino, quod latificat, & accendit, intelligitur Spes. In pane, qui confirmat, & reficit, intelligitur Charitas. S. Thom. Aqu. opusc. 8. de exposit. Missæ.

§. XIII.

De Theologicis Virtutibus varia.

Qui timetis Dominum, credite illi; & non evacuabitur merces vestra. Qui timetis Dominum, sperate in illum; & in oblationem veniet vobis misericordia. Qui timetis Dominum, diligite illum; & illuminabuntur corda vestra. Eccli. 2. 8. 9. 10. Tribus sententijs munit timentes Deum, virtutibus Theologicis. Olympiodorus hic.

Ttt tt

Apertis